

§. XVI.

Haec cum ita sint, et, prout infra deducenda docebunt clarius, ipsi quoque rei naturae apprime conueniant, sequitur porro: si in Instrumento aliquo publico Exercitii Religionis priuati fiat mentio, minime hoc esse restringendum ad domesticum, neque vicissim, si de domestico sermo sit, extendendum id esse ad cultum religiosum priuatum. Neque tamen et hic captare verba fas est, sed respiciendum utique primario ad mentem, de qua si aliunde constet, recedendum tantisper erit a consueta alias regula. E. g. in Reuersalibus supra §. 3. citatis habetur quidem, cultum Religionis R. Catholicae Ludouiciburgensibus indultum intra cancellos *deuotionis priuatae* esse reducendum, interim tamen apertum est, merum hic intelligi Exercitium domesticum, non solum ex eo, quod in Anno decretorio in vniuerso Ducatu Würtembergico nullus plane Catholicis cultus fuerit permissus, sed et ex eo vel maxime, quod mox prouocetur ad §. 34. Art. 5. Instr. Pac. qui de deuotione tantum agit domestica, ceu probatum paulo ante dedimus. Cautelae tamen loco est et praestat, ne vel cauillationibus, vel dubiis pro re nata utique speciosis ansa praebeatur, vt vnaquaeque dicti Exercitii Religionis species nominibus eidem conuenientibus atque propriis exprimatur atque indigitetur.

§. XVII.

Differt ergo Exercitium Religionis priuatum a domestico; at in quonam proprie consistit illa differentia? Acu rem tetigit Illustris et nunquam non honorificentissime compellendus mihi BOEHMERVS *in cit. Diff. de priuat. Legator. sacris Cap. I. §. 14.* vbi haec habet. *Sacra domestica consistunt in piis precibus et meditatione Verbi Diuini sine administratione Sacramentorum --- Proinde sacra priuata hic dicuntur, quae in exercitio vniuersi cultus Di-*